Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36570
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

exiens celi intrabat palatia. Ipsa die Ambrosius Mediolanensis episcopus omnibus
ecclesiis prosperitate et effluenti doctrina memorandus astitit altari sollemp-
nia missarum celebraturus. Qui a spiritu raptus ad sepeliendum corpus Martini
Turonis defertur. Quo sepulto ad se ipsum rediit omnibus mirantibus ac multo
stupentibus, gesta que retulit. Celebri igitur laude karissimi est nobis beatus Martinus veneran-
dus, dulcibus melis cum angelis personandus, cui dominus adhuc pagano mili-
ti in angelos ostenditur, per quem iam christianum et abbatem factum vita mortuus
redditur. Qui pontificali dignitate sublimatur, virtutibus et miraculis deco-
ratur, cui a regina servitur, et dum ei a rege non assurgitur, thronus eius flammis
corripitur, qui a servis regis liberatus eos cum animalibus ad fluvium ut simulachra
figit pergentes, quos transire permittit, qui arbores demonibus dicatas suc-
cidit, cadentes illesos excepit, umbram latronis occisi conspicit, verba loquentis per-
cipit, aram eius aliaque delubra destruit. Qui turbam paganorum cum funere
sistit et iterum abire permittit, turbam canum figit lepusculum adeuntibus, eorum eripit.
Qui percussos a serpentibus depulso veneno sanat, prestigia deceptorum de-
clarat, quod incendium circa se extinguit, infantis trium dierum lingua ad col-
loquendum aperit, in cuius nomine canis importune latrans obmutuit, et cum statim
obsesso homini a monialibus alligatum demonium expulit, qui serpentes
fluvium transire nigros quos iussit de fluvio in desertum ire. Qui obitum suum
longe predixit, discordantes in pace reduxit, cui obeunti agmina angelorum
occurrunt, chori sanctorum concentibus applaudunt, venienti celi patescunt, omnia celestia
hilarescunt. Traditur et de eo cuidam revelatum solitario quod quadam die sollempni-
tatis eius tot anime a penis ipsius meritis liberate sunt, quot homines illa die ad festi-
vitatem eius convenerunt. Quem pontifex Roma beatus ab omni ecclesia digne per
omnia beatificandus, per cuius beata merita animabus beata conferuntur gaudia. Hunc
karissimi devota mente flagitemus, quatenus eius suffragia in superna patria cum
regnemus. Ubi oculus non vidit. **De sancto Briccio**

Hodie karissimi sanctum Briccium votis nostris faventem posceamus cum ei
plurima apud Deum posse noscamus. Ipse enim didicerat in suis pres-
suris qualiter subveniendum sit in miseriis constitutis. Virtutem namque
semper invidia comitatur, quod hoc exemplo maxime comprobatur. Cum sanctus Mar-
tinus signis et virtutibus ut sol splendesceret, et dulcis fama eius longe lateque
per populos crebresceret, multi heu episcoporum cupientes laudis eius preconia rennuen-
tes adornari vite eius sanctimonia egerunt ut aliquo ingenio deponatur quod decer